Sigismundus etc.

Venerabili et Generoso Simoni Rudnicskij Custodi Gnesnen. Secretario nostro. Joanni Macbuics et Joanni Bÿlowskij Tesauri nostri Notario Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Venerabiles et Generosi Fid. nobis dilecti. Intercedebant certe quaedam actiones subditis nostris utriusque insulae Marisburgen. incolis cum Mag.co olim Joanne Dulskij Regni nostri Tesaurario ratione certorum onerum et variarum exactionum praecipue autem novi census qui illis ex ordinatione Serenissimi Regis Stephani Antecessoris nostri impositus erat quae quidem actiones partim decisae sunt partim hucusque in Relationum nostrarum Judicio indecisae dependent. Et illas quidem quae decisae sunt in dubium non vocamus de illis tamen quae adhuc cognitionem nostram desiderant antequam statuamus earum pervestigationem Fid. vestrae committendam duximus quemadmodum committimus per praesentes. Mandantes eisdem ut certo aliquo opportuno tempore in Insulam descendant, ibidemque tam a tenentibus praedicti Tesaurarii qui vigore contractus sui hucusque ea bona possident quam ab aliis etiam incolis et Vicinis tum et eorundem bonorum factoribus quam diligentissime de omnibus gravaminibus Insulanorum intelligant atque inquirant tum etiam considerent an insulam iis oneribus de quibus conqueruntur et praecipue censu sine nostro et Reipub. detrimento liberari possint necne. vel si liberari essent quantum inde damni nobis et Reipub. accidere posset. Deinde quoniam accepimus certa pascua prata et fundos per eundem defunctum Regni Tesaurarium quibusdam hominibus ex certis census et aliis pensionibus ibidem in Insula locata esse Ea vero locata talia esse dicuntur ut cum magno detrimento nostro a possessoribus deserantur Ideo volumus ut id quoque Fid. vestrae perpendant quales illae fuerint locationes et quid damni nostris proventibus immineret ubi ii loca sua desererent Tum et si Fid. vestris ex re nostra visum fuerit, de prorogandis cum eisdem hominibus contractibus aliquid certi ad certum tempus statuat. Denique illud diligenter perquirant et connotent in quo statu sunt commoda et proventus totius oeconomiae Marisburgen. et utrum eis sub tenuta defuncti Tesaurarii quid accesserit vel decesserit. Tum etiam utrum ii citra cuiusque praeiudicium et in quantum augeri possint provideant ne interea subditi nostri a tenentibus Tesaurarii graventur eaque omnia scripto concipiant ad nosque quamprimum deferri curent. Pro gratia nostra etc.

Mandatum ad Warssouien.

Famatis Proconsulibus Consulibus Advocatis et Scabinis Civitatis nostræ utriusque antiquæ et novæ Warss. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Famati Fid. nobis dilecti Habet causam in Contumatiam lucratam Famatus Stanislaus Meine Civis Gedanen. contra Martinum Wictorowicz et Joannem Kurczatko Cives novæ Civitatis nostræ Warss. roie certi debiti quadringentorum florenorum polon. quorum perluciorum executio quoniam ad Fid. vras sub quarum iurisdictione illi bona sua habeant, pertinet Ideo Fid. vestris Mandamus ut quamprimum ab eodem Stanislao Meine vel eius plenipotente requisiti fuerint, eadem perlucra iure exequantur Victoremque causæ in bona succumbentium debitori immittant omniaque sine cunctatione ex officijs suis faciant, quæcunque rei iudicatæ executio desideraverit, nec quicquam eiusmodi in hac executione committant, quod parti intervenienti occasionem de Fid. vris conquerendi præbeat Pro gratia nra et officiorum suorum debito etc.

Litera sac. Rae Mttis

Sigismundus etc.

Spectabiles et Famati Fid. nobis dilecti Intelleximus ex literis Fid. vestrarum in quo statu sit negotium quod Joachimo Heidensfeld cum Societate coctura salis Toruneri intercedit per nos Fid. vestris ad cognoscendum commissum Cum autem videamus huic rei manum extremam per Fid. vras imponi non posse eo quod negotium in dies magis ac magis non tantum extrahatur sed etiam per partes litigantes intricetur. Ideo postulationi Fid. vrarum facile annuimus easque hoc Commissionis onere absolvimus et liberamus. Volumus tamen ut ea quæ iam per Fid. vras acta et cognita sunt scripto comprehendantur, atque cum toto causæ effectu ad nos remittant. Præfixo partibus coram nobis certo aliquo et ultimo termino Nos vero quidquid factum sit videbimus et ulterius de tota causa ut iuris fuerit cognoscemus Datum etc.

Creatio Protonotarij Publici

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quia fugax humanæ naturæ discretio hominum memoriis labilitate pensata ne diuturnitate temporum ea quæ inter contrahentes agerentur oblivionis defectui subiacerent Tabellionatus officium quo varia hominum negocia diversique actus in solennem fidem et autenticam scripti formam redigant prudentes induxerit Ut Tabellionatus officia talibus personis

365